



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Romanvm Pro Canonizatione Sancti Vdalrici Augustani episcopi
celebratum anno Christi redemptoris DCCCCXCIII. tempore Ioannis papae
XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

Gerberti *Synodus ecclesie Gallicane* nominatur. Sic enim Romanus pontifex, prout infra dicemus, acta huius congregationis plane improbavit, amotumque iudicio synodali Arnulphum sedi suæ restitui demandavit, non tam Synodus, quam Pseudosynodus appellanda erat. Quas blasphemias & calumnias contra Deum & ecclesiam, quotve mendacia huic suo libello Gerbertus inseruerit, videre est apud Baronium, a quibus recensendis atque hoc loco memorandis ego propterea in primis abstineo, quod non tam actis alicuius Conciliabuli, quam commentitio Gerberti scripto contineantur. Quisquis ea scire voluerit, anno Domini 992. numero 12. & sequentibus Baronium consulat.

ANNO
CHRISTI
992.

CONCILIVM ROMANVM

PRO CANONIZATIONE SANCTI VDALRICI
Augustani episcopi celebratum anno Christi redemptoris DCCCCXIII. tempore Ioannis papæ XV.

ANNO
CHRISTI
993.

Ioannes episcopus servus servorum Dei omnibus archiepiscopis, episcopis, & abbatibus, in Gallia & Germania commorantibus, salutem in Domino ac apostolicam benedictionem.

Quanta fuerit solennitas festi sancti Vdalrici, patet ex eius vita, & ex Gregorio VII. epist. 38. lib. 6.

CVM Conuentus esset factus in palatio Lateranensi prae die Kalendas Februarii, residente Ioanne sanctissimo papa cum episcopis & presbyteris, adstantibus diaconibus & cuncto clero, surgens reuerendissimus Luitolphus Augustæ episcopus inquit: Domine sanctissime prae sul, si vobis placet & omnibus episcopis & presbyteris hic residētibus, libellus quem prae manibus habeo coram vobis legatur de vita & miraculis venerabilis Vdalrici, sanctæ Augustinæ ecclesiae dudum episcopi, & quid libitum vobis fuerit decernatur. Quia Spiritus sancti testatur praesentia & congregatio sacerdotum, certum esse quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cuius in euangelio ista est sententia: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum.* Quod cum ita sit, nec huic tam breui numero Spiritus sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in vnum conuenit turba sanctorum: sanctum namque est pro debita veneratione collegium.

Matth. 18.

Cumque perlecta esset vita praedicti sanctissimi episcopi,

ANNO
CHRISTI
993

pi, ventum est ad miracula quæ siue in corpore siue extra corpus gesta sunt, videlicet cæcos illuminasse, dæmones ab obsessis corporibus effugasse, paralyticos curasse, & quamplurima alia signa gessisse, quæ nequaquam calamo & atramento illustrata sunt.

Quæ omnia lepida satis vrbanitate expolita recepimus, & communi consilio decreuimus memoriam illius, id est sancti Vdalrici episcopi, affectu piissimo deuotione fidelissima venerandam: quoniam sic adoramus & colimus reliquias martyrum & confessorum, vt eum cuius martyres & confessores sunt adoremus: honoramus seruos, vt honor redundet in Dominum, qui dixit: *Qui vos recipit me* Math. 10. *recipit.* Ac proinde nos qui fiduciam nostræ iustitiæ non habemus, illorum precibus & meritis apud clementissimum Deum iugiter adiuuemur, quia diuina saluberrima præcepta & sanctorum Canonum ac venerabilium patrum instabant efficaciter documenta omnium ecclesiarum pio considerationis intuitu, imo apostolici moderaminis annisu, vtilitatum commoditatem, atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria Vdalrici iam præfati venerabilis episcopi diuino cultui dicata existat, & in laudibus Dei deuotissime persoluendis semper valeat proficere. Si quis interea (quod non credimus) temerario ausu contra ea quæ hac nostra auctoritate pie ac firmiter per hoc priuilegium constituta sunt contraire tentauerit, vel hæc quæ a nobis in laudem Dei, & pro reuerentia iam dicti episcopi statuta sunt refragari, aut in quoquam transgredi, sciat se auctoritate beati Petri principis apostolorum, cuius vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum. At vero qui pio intuitu obseruator extiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, & aternæ vitæ particeps efficiatur. Scriptum est per manum Stephani notarii regionarii & scriniarii sanctæ Romanæ ecclesiæ in mense Februario, indictione sexta, anno nongentesimo nonagesimo tertio.

SVBSCRIPTIONES.

Ego Ioannes sanctæ Romanæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ episcopus huic decreto a nobis promulgato consensi & subscripsi.


Ioannes episcopus sanctæ Anagninæ ecclesiæ consensi.

Concil. Tom. 25.

E c

- Benedictus episcopus sanctæ Pipernensis ecclesiæ confensi.
- Dominicus episcopus sanctæ Ferentinæ ecclesiæ confensi.
- Crescentius episcopus sanctæ Siluæ candidæ ecclesiæ confensi.
- Anniso episcopus sanctæ Cerensis ecclesiæ confensi.
- Bonizo archipresbyter & cardinalis sanctæ Lucie confensi.
- Benedictus presbyter & cardinalis sancti Stephani confensi.
- Leo presbyter & cardinalis sancti Nerei confensi.
- Ioannes presbyter & cardinalis sancti Damasi confensi.
- Leo presbyter & cardinalis sancti Sixti confensi.
- Ioannes presbyter & cardinalis sanctorum apostolorum confensi.
- Ioannes presbyter & cardinalis sanctorum quatuor Coronatorum confensi.
- Ioannes presbyter & cardinalis sancti Clementis confensi.
- Crescentius presbyter & cardinalis sancti Callisti confensi.
- Benedictus archidiaconus.
- Ioannes diaconus & oblationarius.
- Benedictus diaconus.
- Ioannes diaconus. Hi omnes consenserunt & subscripserunt.

Data tertio * Kalendas Februarii per manum Ioannis *Notar
episcopi sanctæ Nepefinæ ecclesiæ, & bibliothecarii san-
ctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus domini nostri
Ioannis sanctissimi papæ XV. octauo, mense dicto, & in-
dictione sexta.



CONCILIVM MOSOMENSE, ANNO
QVO EIECTO GERBERTO ARNVLPHVS
sedi suæ restituitur anno Christi DCCCCXV. tempore
Ioannis papæ XV.

NOTA.

Mosomum * *Concilium.*] Mosomum est opidum Gallie Belgicæ, Rhemenfi me-
tropoli subiectum, hodie priscum nomen retinens. *Hoc loco*, inquit
Papirius Massonus lib. 3. annalium Francorum, *Leo Roma in mona-*
sterio sancti Bonifacii abbas, & sedis apostolicæ legatus, Synodum congre-
gavit, anno 995. indictione octaua, 1 V. Nonas Iunii, in qua Gerbertus,
Acta Con- *qui exauctorato Arnulpho susceptus erat, patientissime auditus est.* In hac
cillii. Synodo Gerbertus etiam inter cetera proluxa quadam oratione, quæ
reperitur in prænominato Gerberti libello, Arnulphi depositionem
suique inuiti ordinationem iuste factam defendit. Leo autem sedis
apostolicæ legatus eidem haud dubie multum contradixit, accepta-
que Gerberti oratiuncula, aliam Synodum Kalendis Iunii Rhemis
habendam denuntiat. Interim monachum suum idem legatus ad
reges Francorum duci iubet, & per episcopos Gerberto mandat